

ab eodem Haymone compositum Lucas Dacherius inferuit Tom. XII. Spicilegii (a).

„ (a) Inter Haymonis vulgata extat etiam commentarius in Isaiam, quod excusum legi Coloniae 1531. In praefatione huic operi praemissa scribit ejus Auctor, commentarium hunc, qualis in editione exhibetur, sincerum esse Haymonis, non vero alterum, qui eodem tempore alibi excudebatur, forte Parisiis, cum illum dederit editor ex Archivis Germanicis descriptum; nec in tota Germania alium diversum reperiri affirmat. Forte mihi accidit, ut in Bibliotheca Ecclesiae majoris Lucensis excuterem Manuscriptum Codicem scriptum saeculo, ut arbitror, XIII. auctore Anonymo, qui de Trinitate excerpta Patrum danda suscepit. Bene longa in eo reperi fragmenta ex commentario, ut ibi legitur, Haymonis accepta; contuli illa cum editione Colonienfis anni 1541. ab Eucharico Cervicorno curata; nec inter se congruere reperi. Judicent eruditi.

Huro, vel Hayto Monasterii Augiae Majoris Abbas & tandem Episcopus Basileensis, scripsit *Capitulare* complectens Canones xxv. quibus Presbyteris suae Dioceseos praescribit modum pie, & iuste regendi plebem ipsis commissam. Exstat istud *Huttonis*, seu *Haytonis* *Capitulare* apud *Dacherium* Tomo IV. Spicilegii.

Hispania, nono Ecclesiae saeculo tres protulit Scriptores, quorum duo, scilicet Sanctus *Eulogius* Cordubensis Presbyter & Martyr, & *Alvarus*, Ecclesiam pietate & eruditione illustrant; tertius vero, seu *Claudius*, qui fuit postea Turinensis Episcopus, Iconoclastarum Haeresim postliminio revocavit. S. *Eulogius*, quem studio, non professione Monachum fuisse contra nonnullos ostendit *Mabillonius*, cum grassante in Hispania Saracenorum procella, magna Christianorum, & praecipue Monachorum strages edita fuisset, composuit *Documentum Martyriale* uno libro comprehensum cum Epistola ad *Willelsum* Episcopum Pampilonensem, in qua Serafensium, & Legeriensium Monachorum mores egregie commendat. Tandem ipse pro Christo Martyrium passus est anno 859. Ejus Vitam descripsit *Alvarus* Cordubensis, quem alii Sancti *Eulogii* fratrem, alii ejus duntaxat amicum intimum, & gestorum conscium fuisse affirmant. Hanc Vitam Sancti *Eulogii* ab *Alvaro* descriptam refert *Bollandus* ad diem XI. mensis Martii, qua Martyrii palmam adeptus ad Caelestem patriam evolavit S. *Eulogius*.

Claudius Natione non Hibernus, ut male visum est *Usserio*, sed Hispanus, scripsit Commentarios in *Genesim* & in *Exodum*. Commentatus est etiam Evangelium *Matthaei*, cujus expositionem doctissimus *Mabillonius* Tomo I. *Analect.* asserit se reperisse in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiae Laudunensis. Differit ibidem *Mabillonius* de aliis ejusdem *Claudii* Taurinensis Operibus, ex quibus sola Expositio in Epistolam ad Galatas typis vulgata est in Bibliotheca Patrum. Scri-

psit etiam idem *Claudius* Taurinensis Episcopus contra cultum qui exhibetur Sanctis Imaginibus, extinctamque Iconomachorum Haeresim denuo excitavit. Quam ob rem *Jonas* Aurelianensis Episcopus, & *Dungalus* Coenobii Sancti Dionysiani Monachus jussu *Ludovici Pii* Imperatoris, ut jam observavimus, eruditos libros contra illum conscripserunt, & errorem ab eo recoctum penitus profligarunt. De Operibus *Claudii* Taurinensis Episcopi Haeretici legendi sunt, praeter *Mabillonium* jam citatum, *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, & *Casimirus Oudinus* in supplemento Scriptor. Ecclesiast. (a)

„ (a) *Claudii* Taurinensis opus in libros Regum ex Bibliotheca Illustrissimi Capituli Veronensis prodiit non ante multos annos, auctore Reverendissimo P. D. Joanne Christophoro Trombelli Abbate Generali Canonico S. Salvatoris, eique praemissa est epistola Teutmiri Abbatis in Gallia, qui illi quaestiones quasdam moverat ex libris Rerum plerumque deductas, cui hoc opere *Claudius* respondet.

Anglia nono Ecclesiae saeculo tres Scriptores dedit *Alfredum*, *Afferum*, & *Joannem Scotum Erigenam*. *Alfredus* Angliae Rex in maximis occupationum fluctibus non solum liberalium disciplinarum studia non intermisit, sed omnes conatus ad litteras in Anglia restituendas convertit. Plures libros e lingua Latina in Saxoniam vertit, inter quos reperitur *Historia* Venerabilis *Bede* de gente Anglorum, quae Cantabrigiae non parvo *Historiae* Anglicae bono fuit saeculo proxime elapso edita. *Afferus* in Aula *Alfredi* Angliae Regis aliquandiu versatus, & ab eo Episcopatu Schireburgensi donatus scripsit *Historiam de rebus gestis Alfredi Regis*, quae una cum aliis Angliae Historicis prodiit *Francfurti* an. MDCII. *Annales* etiam *Britanniae*, *Homilias*, aliaque plura Opera edidit *Afferus* testatur *Joannes Baleus* in suis *Centuriis de Scriptoribus Britannicis*. Postremo, *Joannes Scotus Erigena* scripsit libros quinque de *Naturis* multis novellis opinionibus infartos, qui Oxonii non multos abhinc annos typis excusi sunt; composuit etiam librum de *Corpore & Sanguine Domini*, in quo *Berengarii*, & *Sacramentariorum* nostri temporis Haeresim praeformavit, aliosque edidit libros, quos *Casimirus Oudinus* in supplemento de *Scriptoribus Ecclesiasticis* accurate perceret. Nonnulli post *Baronium* confundunt hunc *Joannem Scotum Erigenam* cum *Joanne Aethelingiae* in Anglia Abbate. Sed in hoc oppido falluntur. At enim *Joannes Aethelingiae* Abbas non erat genere Scotus, sed Germano-Saxo, sicut luculenter demonstrat *Mabillonius* parte II. saeculi IV. *Benedictini* Venerabilis *Joannis* Abbatis *Aethelingiae* *Historico Elogio*; e contra vero *Joannes Scotus Erigena* e Scotia, seu ex Hibernia erat oriundus. Qua de causa *Hinomarus* Remensis Archiep. cap. 31. lib. de *Prædestinatione*, & *Anastasius* Bibliothecarius in Epistola ad *Carololum Calvum* de *Areopagitice*, eorumque versione, eum appellant *Scotigenam*, idest Scotum

in genere, & e Scotia seu Hibernia ortum. Praeter quam quod *Joannes Aethelingiae* Abbas ab *Affero* Scriptorum coaevo in libro de rebus gestis *Alfredi* Angliae Regis appellatur Presbyter ac Monachus, & ipsi *Alfredo* Regi a Sacris; at *Joannes Scotus Erigena* a nemine auctorum noni saeculi Presbyter, aut Monachus dicitur. Haeretici nostri temporis, ut *Joanni* *Scoto* *Erigenae*, cujus patrocinio gloriantur, utcumque gratificari possint, illam ceu Martyrem *Falsis* suis adscripserunt, tanquam sui dogmatis defensorem. Sed istud *Joannis* *Scoti* *Erigenae* Martyrium plane commentitium esse constat, non solum quia nec Ecclesia Romana caterarum omnium mater. cuius est vindicare Martyres & proclamare Sanctos, nec ulla alia Ecclesia *Joannem Scotum Erigenam* Sanctorum Martyrum numero accensuit, sed etiam quia *Berengarii* Haeretici discipuli, quorum maxime intererat, *Joannem Scotum Erigenam*, cujus errorem sectabantur, laudibus extollere, nunquam tamen praesensum illius Martyriam jactarunt, ut optime observat *Parisius* *Canonicus Regularis Ord. S. Augustini* Congregationis *Galicanae* in suo de *Joanne Scoto* libello. Jure itaque optimo istud *Joannis* *Scoti* *Erigenae* Martyrium inter aniles fabulas reponi debet.

D. Percensuistine omnes Scriptores, qui nono saeculo in Ecclesia Latina floruerunt?

M. Duos noni saeculi Scriptores Latinos de industria praetermisi, scilicet *Isidorum Mercatorem*, qui a quibusdam appellatur *Peccator*, & *Auxilium*, eo quod eorum patria ignoretur. *Isidorus Mercator* Epistolae Decretales sub Pontificum Romanorum nomine consarcinavit a *Clemente I.* Romano Pontifice usque ad *Deusedit*, qui Pontificatum Romanum tenuit anno DCXV. Has tamen Romanorum Pontificum Decretales Epistolae ab *Isidoro* *Mercatore* compilatas fatentur omnes ad unum periti Critici genuinis non esse, sed spurias & adulterinas, nosque eximius *Antiquitatis*, *Chronologiae* Criticisque Sacrae fundamentis idem breviter ostendimus in Colloquio secundo in *Historiam Trium Priorum Ecclesiae saeculorum*. (a)

„ (a) Quamquam assentior, vel saltem nihil contra oppono doctissimis illis Criticis *Isidorum Mercatorem* accusantibus, veluti reum supposititiarum Epistolarum Decretalium, mihi tamen compertum est, non omnes plane Epistolae, in collectione ejus comprehensas, auctorem habere illum potuisse, cum ante *Isidorum* innotuerint. Id saltem certum est de Epistolis *Clementis* ad *Jacobum* fratrem *Domini* binas; utriusque enim excerpta reperi in vetustissimo *Luc. Cod.* exeunte saeculo VIII. & IX. in eunte exarato sub hoc titulo: ex epistola *Clementis* ad *Jacobum*. Insuper & *Ballerini* *Fractres* fragmentum bene longum ex una ex istis epistolis repererunt in Codice *Veronensi* vetustissimo scripto multo ante *Isidorum Mercatorem*, retuleruntque in appendice documentorum veterum in tom. III. Operum *S. Leonis Magni* editionis a se adornatae. Non tamen ne *Gravef. Hist. Tom. III.*

„ gaverim Epistolas hasce, quamvis antiquas, apocryphas esse, ut eruditi omnes fatentur.

„ *Auxilius*, qui sub finem saeculi noni claruit, duos scripsit libros de *Ordinationibus Formosi Papae*, quos primus in lucem edidit doctissimus *Joannes Morinus* Congregationis Oratorii Presbyter ad calcem de *Sacris Ordinationibus*. Alium ejusdem *Auxilii* librum, seu *Dialogum* super causa & negotio *Formosi Papae* exhibet *Mabillonius* Tomo IV. *Analectorum*.

D. Cum de Scriptoribus, qui nono saeculo in Ecclesia Latina floruerunt, nihil amplius tibi dicendum supererat, quidquid nobis superest temporis in percurrendis Scriptoribus, qui eodem saeculo in Ecclesia Graeca celebriores fuerunt, impendere debemus.

M. Sex potissimum Scriptores in Ecclesia Graeca nono saeculo celebres extiterunt, nimirum *Theodorus Studita*, *Nicephorus*, *Methodius*, *Photius*, *Theodorus Abucara*, & *Leo* cognomento *Sapiens* Imperator, *Basilii* filius. In primis, *Theodorus* sanctitate illustris, Abbas fuit Monasterii, quod *Studium* a *Studio* ejus conditore appellabatur, indeque ipse dictus est *Studita*. Sub *Iconomachis* Imperatoribus *Leone Armeno*, & *Michaele Balbo*, Ecclesiae fidem de Sanctarum Imaginum cultu constanter propugnavit, & pro illius causa tormenta, carcerem & exilium iactato animo passus est. Quinque Epistolarum libros scripsit Sanctus *Theodorus Studita*, ex quibus aliquas in Tomo IX. *Annal. Ecclesiasticorum* inferuit *Baronius*. Edidit etiam *Theodorus Studita* librum inscriptum, *Parvam Catechesim*, sermones, quos Monachis suis pronunciarat, complementem: & alterum librum inscriptum, *Magnam Catechesim*, in quo Coenobii sui instituta exponit, aliaque quaedam Opuscula, ex quibus paucissima lucem viderunt (b).

„ (b) Stupeo cur non meminerit vir doctissimus amplissimae collectionis operum S. *Theodori Studitae* a *Sirmondo* adornatae, in qua duo epistolarum libri continentur complectentes epistolas 218. nam sequentis epistolae loco sub numero 219. sunt *Solutiones diversorum capitum*. Sunt ibi pariter *Jambi* 124. quamquam non omnes *Theodorum* sapiant. In capite hujus editionis sunt *Antirrhethici* ejusdem adversus *Iconomachos*.

Nicephorus fuit Patriarcha Constantinopolitanus, tamque eximius Sanctarum Imaginum cultus contra *Iconomachos* defensor, ut post mortem non solum a Graecis, sed etiam a Latinis Sanctorum *Falsis* fuerit adscriptus. *Varia* Opera composuit, *Breviarium* scilicet *Historicum* de rebus gestis a *Mauricii* Imperatoris caede ad *Constantini Copronymi* annum XXI. qui Christi fuit DCLXIX. Edidit insuper *Antirrhethicos* tres adversus *Iconomachos*, quorum aliqua tantum fragmenta haecenus in lucem prodierunt, non levi damno Reipublicae tam Christianae, quam litterariae, ut ait noster *Combesinus* in Apparatu ad Bibliothecam *Concionatoriam*

toriam pag. 51. Digestit quoque idem Nicephorus Chronographiam ab Adamo usque ad Michaelis Balbi, & Theophili ejus filii tempora perductam, cui a posteriori quodam Scriptore adjecti sunt Patriarchæ, qui post Nicephorum ad Photium usque Ecclesiam Constantinopolitanam gubernarunt. Hanc Nicephori Chronographiam græcæ & latine typis Regiis vulgavit una cum Georgii Sincelli Chronico anno MDCLII. doctissimus noster Jacobus Goarus recensitam ad varia exemplaria & eruditissimam (a).

„ (a) Nicephori Patriarchæ opera, quotquot reperire potuit, omnia daturum se spon- dit principio sæculi hujus XVIII. P. D. Anselmus Banduri Monachus Ordinis S. B. ac jam ejus operis conspectum exhibuerat vulgatum typis Parisiensibus an. 1705. ne vero cum eruditissimis communicaretur desideratissima editio, vetuit, heu nimis luctuosa! mors viri doctissimi. In eo vero conspectu daturum se pollicebatur Bandurius capita LXXXIII. S. Nicephori pro irreprehensibili & pura Christianorum fide; antirrheticos contra Iconomachos tres, tum & alium in duas partes divisum, In secundo vero hoc Antirrheticum multa contineri anecdota ad Nicanam II. Synodum Generalem spectantia affirmat doctissimus Editor in eodem conspectu. Demum capita plura Canonica S. Nicephori edidit Corelerius in monumentis veteribus Ecclesiæ Græcæ, quæ a me translata sunt in supplementum Conciliorum. Fragmentum aliud alterius Canonis Nicephori servavit P. Montfauconius in sua Bibliotheca Coisliniana.

Methodius Patriarcha Constantinopolitanus sapientia celebris multa pro cultu Sanctarum Imaginum, quem acriter tuebatur, sub Imperatoribus Iconomachis invicta animi constantia passus est. Auctor est Orationis de Simeone & Anna, quo die Domino in Templo occurrerunt, ac de Sanctissima Deipara, necnon & Orationis in Ramos Palmarum, quæ proinde a quibusdam male attribuantur alteri Methodio Patrensi Episcopo, Seniori vulgo nuncupato. Composuit etiam S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus Encomium Sancti Dionysii Areopagite & Martyris, & Encomium S. Agathæ Virginis & Martyris. De utroque Methodio legendi sunt Leo Allatus in Symphosio decem Virginum, Combefisus in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, & Oudinus in Supplemento Script. Eccles. Aliud genuinum S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani Opus, quod inscribitur: Canon de iis, qui abnegarunt, secundum diversas personas & ætates, & ad Orthodoxam veramque fidem revertuntur, edidit noster Jacobus Goarus in Euchologio Græcorum pag. 876.

Photius, qui, ut sæpius in præcedentibus Colloquiis diximus, dejecto S. Ignatio legitimo Patriarcha, Sedem Constantinopolitanam invasit, & schismatis Ecclesiam Græcam inter, & Latinam nequissimus auctor fuit, doctrina claruit non vulgari, & exactissimi judicii Criticus fuit eo præsertim in Opere, quod Bibliothecam de li-

bris a se lectis nominavit, in quo tam accurate, tam perspicaci ingenio, tam docte, tam libere de omnibus Scriptoribus Christianis simul phanisque auctoribus, Theologis, Philosophis, Historicis, Poetis, Grammaticis, & Oratoribus judicat, ut nemo hanc ejus Bibliothecam vel semel inspexerit, qui eum Historicum summum, Philosophum absolutissimum, Criticum acerrimum, Oratorem disertissimum, & Theologiam adamussum tenuisse statim non fateatur. Hanc Photii Bibliothecam eo pluris faciunt Viri eruditi, quod in ea multorum librorum fragmenta, & excerpta leguntur, quæ alioquin periissent. Edidit etiam Photius Nomocanonem Titulis XIV. comprehensum, quod Canones Apostolorum, Conciliorumque veterum cum legibus Imperatorum Romanorum collatos, & in unum digestos, Volumen complectitur. VII. Conciliorum Œcumenicorum scripsit Epitomen. Item Tractatum de Voluntatibus in Christo: Dissertationes de Divinitate & Incarnatione Christi, ab Henrico Caniso Tomo V. Antiq. Lect. editas. Item Commentarium in Epistolas Sancti Pauli, & Epistolas cccxviii. quas variis de argumentis scriptas e MS. Codice Bodlejano una cum Auctario quinque aliarum ejusdem Photii de rebus in jure Orientalium dubiis publicavit Richardus Montacutus e secta protestantium Pseudo-Episcopus Norvicensis. Inter Epistolas Photii eminet ea præsertim, quæ ad Michaelem Bulgæ Regem de Officio Principis directæ est, in qua præclara ad rectam Principis institutionem continentur documenta. Sermonem Photii in Nativitatem B. Mariæ Virginis edidit noster Combefisus Tomo I. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum. Sed de Photii Operibus si plura scire desideres, consule Casimirum Oudinum in Supplemento Script. Eccles. & nostrum Natalem Alexandrum Articulo xxv. Capitis tertii, de Scriptoribus Ecclesiasticis noni & decimi sæculi.

Theodorus Abucara Carix Archiepiscopus partibus Photii contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum aliquandiu adhæsit, sed prolati Photii fraudibus, ab eo descivit, & in Concilio VIII. Œcumenico ad unitatem rediit, sui- que delicti veniam impetravit. Tanta fuit eruditione præditus, ut Mahometanos, & Judæos, & quosvis sui temporis Hæreticos confutarit: disputationes in modum Dialogorum luculentissimas composuit, quæ ex Turriani, & Gretseri Societatis Jesu Theologorum versione, extant in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis.

Denique, Leo Imperator, cognomento Sapiens, idest Philosophus, Præceptorem habuit Photium, sub quo immensam bonarum literarum, Artium atque disciplinarum scientiam hausit, pluresque Orationes sacras composuit, quarum indicem ex Codice Vaticano exhibet Baronius in Annalibus Eccles. ad annum nongentesimum undecimum. Novem ejus Orationes edidit Gretserus Societatis Jesu Ingolstadtii, an. MDC. Noster vero Combefisus Tomo I. Auctarii Biblioth. Patrum decem Leonis publicavit Orationes cum eruditissimis Notis. Eidem Leoni Imperatori alia tribuuntur Opera, & in pri-

primis, ut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam hujus sæculi noni, Opus Βασίλειον, idest Regiarum Constitutionum in LX. libros divisum, quod VII. Tom. comprehensum Fabrotus juris consultus doctissimus ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ, Græcæ & Latine vulgavit. Sed de Viris illustribus, qui IX. sæculo in Ecclesia tam Græca, quam Latina pietate & doctrina floruerunt, hæc dicta sufficiant (a).

„ (a) Alteram ex ineditis orationem Leonis Imperatoris Græcam cum latina interpretatione sua Libello singulari edidit vir doctissimus Marchio Scipio Maffejus, mihi olim, dum viveret, amicitia maxime conjunctus. Cum vero in strue librorum ego illam cum aliis admixtam haberem, nec modo, cum maxime velim, mihi occurrat, ideo argumentum ejus exponere nequaquam possum.

D. Nunc, si placet, paululum requiescamus, dum se maximus æstatis calor frangat, & nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Quamobrem, proximum nostrum Colloquium differamus usque ad exordium sequentis Autumni, quo Etesiarum flatu nimii temperabuntur calores.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, de Disciplina tam Ecclesiastica, quam Monastica, necnon de Morali Christiana noni Ecclesiæ sæculi.

M. A Trigimus tandem aliquando Autumnum, anni tempus percipiendis, demetendisque frugibus aptum, & ad resumenda, ob nimium calorem per integrum mensem interrupta nostra in Historiam Ecclesiasticam Colloquia, tempestivum magis, atque idoneum. Age ergo, ea, qua par est, diligentia in præsentis Colloquio discutiamus omnia, quæ spectant Doctrinam fidei, Disciplinam tam Ecclesiasticam, quam Monasticam, necnon Doctrinam Moralem noni Ecclesiæ sæculi.

D. Incidi nuperrime in librum cujusdam Hæretici Calvinistæ, quem non pudet asserere, Christianos noni Ecclesiæ sæculi credidisse, Corpus, & Sanguinem Christi Domini reipsa esse dumtaxat in Cælo, non in Eucharistia, illamque esse meram figuram Corporis & Sanguinis Christi. Fingit etiam, hanc fidem, quæ de Eucharistia nono Ecclesiæ sæculo apud fideles obtinebat, fuisse sub finem ejusdem sæculi immutatam a Paschasio Radberto Monacho Corbejensi, qui invenit novam de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento doctrinam, quæ ab exitu noni sæculi ad exordium usque undecimi omnium hominum mentes, faventibus præsertim decimi sæculi ignorantia tenebris, toto terrarum orbe ita pervasit, ut Christiani in sequentibus deinceps sæculis hac recenti Paschasii doctrina una cum lacte imbuti, illam ceu veram confidenter obtulerint, mordicusque retinuerint. Certe, dum legi hoc tam male confarcatum istius Hæretici figmentum, omnique veritatis spe-

cie destitutum, quo mutationem circum fidem Eucharistiæ post nonum sæculum in omnium Christianorum animis factam inepte fabulatur, a risu temperare haud potui, certissime sciens, doctrinam fidei esse prorsus invariabilem, nullique temporum vicissitudini obnoxiam, subindeque doctrinam, quam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia nunc firmiter credit & constanter proficitur Catholica Ecclesia, non a Radberto Paschasio Monacho, qui nono sæculo florebat, prodidisse, sed a Christo Domino profectam ad nos usque perpetua sibi que semper constanti Patrum traditione fuisse propagatam. Huic Catholice Fidei, seu sacre Anchoræ immobiliter adhareo, nec dubito, quin tam insulsum Hæreticorum commentum a Catholicis Scriptoribus fuerit jam confutatum multis argumentis, quorum nonnulla quæ erunt ad meum captum magis accommodata, a te nunc audire cupio.

M. Hoc figmentum, de innovatione fidei circa Eucharistiæ nono Ecclesiæ sæculo a Paschasio Radberto facta, in solo cerebro Albertini, Claudii, & La-Roque sectæ Calvinianæ Pseudo-Ministrorum natum, adeo absurdum est, & ab omni veri specie alienum, ut stipitem esse oporteat eum, qui illud sibi, aut aliis persuadere posse arbitretur. Enim vero, præterquam quod Paschasius Radbertus nihil omnino in fide & doctrina de Eucharistia nono Ecclesiæ sæculo immutavit, sed solum avitam fidem, & doctrinam Scripturæ Sacre, & SS. Patrum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Sacramento clariori uberique stylo exposuit, ut jam in præcedentibus Colloquiis sat superque ostendimus; certum est etiam, hanc innovationem in fide & doctrina de Eucharistia, quam ab exeunte nono sæculo ad initium usque undecimi sæculi factam comminiscuntur Hæretici, puram putamque fabulam esse, quam Catholici Viri doctissimi omni argumentorum genere exploserunt. Ecquis, amabo, tam bonus ut credat, Orbem totum, si (ut dicunt isti Calviniani Pseudo-Ministri) sæculo nono credidisset Corpus & Sanguinem Christi non realiter existere in Eucharistia Sacramento, ad eam postea doctrinam sensim sine sensu traduci potuisse, quæ alteri e diametro opposita Corpus & Sanguinem Christi esse realiter in Eucharistia proficitur, omnesque noni & Decimi Ecclesiæ sæculi Antistites, Presbyteros, Clericos & Monachos, Principes, & Laicos tam stupendam novitatem, tam novam & insolentem doctrinam, tam imperviam rationi, tam sensibus adversam, qua Religionis & fidei fundamenta convelli Calvinistæ plenis buccis inclamant, obviis, ut ajunt, ulnis, tam facile excepisse, pristinamque fidem absque ullo vel minimo scrupulo abjecisse, nemine reclamante, immo nec advertente, nullis expugnantibus Ecclesiæ Pastoribus, nec obstantibus Principibus religiosissimis, & in utramvis aurem dormientibus Viris Sanctissimis, quibus IX. sæculum abundasse vidimus in superiori Colloquio, multoque in sæculo decimo floruisse ostendimus in nostris Colloquiis, in Historiam de-